AMBROSIUS MEDIOLANENSIS
Admont, 12. Jh. Seite 118r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26121
Copyright: Admont, Benediktinerstift



inmaturis adhuc eius sublatus est parricidio. et iniquus sceleratus impius etiam fraterna
cede pollutus longeuam etatem duxit. uxorem habuit posteritatem reliquit. urbes condidit. Et hoc
meruit permissione diuina. Nonne in his aperte uox dei clamat. erratis qui puta
tis hoc esse omnem uiuendi gratiam. Nam intelligitis non aduertitis hanc senectu
tem miseriarum esse ueteranam processionemque etatis erumpnarum stipendia. Et scilleo
quodam usu circumsonante nos cottidianis naufragiis tundi fluctibus in scopu
losis habitaculis degere et in his delectari. sicut illud eternum animal quam in
mortale. Malum ergo et isti cain longeuitas inducta uindicta est. eo quod uixit in
metu. Et prolixum spacium multo cucurrit et infructuoso labore quam pena ni
chil grauius quam ut quis ipse sibi et causa et pena sit. Vide igitur quam perpetua uita
iustorum. et nulla sit improborum. Iusti sanguis clamat et mortui. uita autem pec
catoris absconditur. Tercium est quomodo cum parricidium esset admissum. hoc est sce
lerum principatus. ubi peccatum obrepsit. statim et lex diuine mansuetudinis pro
rogari debuit. ne si continuo uindicatum esset in reum. homines quoque in iudican
do nullam pacientiam moderationemque seruarent. sed statim reos supplicio darent.
Diuine autem sententie prudentia est. ut magnanimitatem et pacientiam doce
ret iudices. saperetur studio uindicte et ipsa deliberationis in maturitate
puniret innoxium aut penam aceruaret. nec tamen penitus in ultum esse pateretur
in eo qui nullam penitentiam sceleris induisset. Reppulit enim illius facta et a
parentibus abdicatum separate habitationis quodam relegauit exilio. eo quod
ab humana mansuetudine transisset ad seuitiam bestiarum. Verunta
men non homicidio uoluit homicidam uindicari qui mauult peccato
RIS CORRECTIONEM QVAM MORTEM.